Diſſertatio Juridica
De
[S]UMTUUM STU-
[D]IORUM, EX COMMUNI
HÆREDITATE CONCES-
SORUM, COLLATIONE,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVAM

In Illuſtri

[A]cademia Haſſo-Schaumburgica,

Ad diem 18. Jul. An. M DCC XL

PRÆSIDE

[D]N. HENR. ERN. KESTNERO,

JC. & P. P.

Publico Eruditorum examini ſubmittit

AUTOR

JOH. CHRISTIAN. Schultze/

Deckberga-Schaumburgicus.

RINTELII,

[Lite]ris HERMANNI AUGUSTINI ENAX, *Acad. Typogr.* 1740.

Digitized by Google

VIRIS

MAXIME REVERENDIS, CLARISSIMIS DOCTISSIMISQVE,

DN. HERMANNO GERHARDO STEDINGIO,

Divinorum apud Viſchbecenſes oraculorum Interpreti longè meritisſimo.

DN. CHRISTIANO STEDINGIO,

Eccleſiæ, qvæ eſt Oldendorpii, Miniſtro verbi Divini Primario pariter dignisſimo.

DN. JUSTO HUGONI STEDINGIO,

Eccleſiæ Ottenſteinenſis Antiſtiti æqvè ſpectatisſimo.

DN. JOHANNI CHRISTIANO LUDOVICI,

Lemgoviæ apud Neopolitanos Eccleſiaſtæ vigilantisſimo.

DNN. Fautoribus ſuis, Patronis, Avunculis & ſpeciatim Parenti ſuo Luſtrico, eô, qvo decet, obſervantiæ & filialis amoris honorisqve cultu, æternùm proſeqvendis,

Hanc Diſſertationem

Sacram eſſe jubet, & ſe ſuaque ſtudia de meliori nota commendat

AUTOR.

Digitized by Google

§. I.

GErmani poſtquam juribus ſuis, quæ magis in bonis moribus, quàm legibus ſcriptis conſiſtebant, miſcuêre utramque jurisprudentiam Romanam & Pontificum & Imperatorum, leges iſtas peregrinas, ſæpè iniquas & non rarò ſibi ipſis contrarias; tanta denique ex hac mixtura ſuborta eſt confuſio Doctorumque diſſenſio, ut ferè neſciam, an ulla Reſpublica majore juſtitiæ morbo laboret, quàm quidem Teutonica noſtra. Adverterunt deploraruntq; hanc miſeriam ſatis ſuperque viri dudum illuſtres, & de rebus Germanicis optimè demeriti, atque mederi huic incommodo annißi ſunt, ſed & multos de eo jam deſperare non ignoro. Sanè me quod attinet, tempora ſubinde doleo, quibus me in legibus hiſce obſcuris cognoſcendis uti oportet: probè intelligens, quàm paucis capitibus earum operâ Reipubl. aliquando, ſi Deo ita viſum fuerit, inſervire queam. Sic tempus maximam partem ineptiis teritur, vel otio, ut loqui amat Thomaſius, erudito. Interim pro præſenti rerum ſtatu juribus opera danda eſt, & maximè quidem iis, quibus JCti nomen olim tueri volupe eſt: ſed ita mihi tractandum eſſe hoc ſtudium ſemper habui perſvaſiſſimum, ut pro immoto principio ponerem ſanctum illud, ac cujusvis cordi expoſitum Jus Naturæ, & ad ejus normam revocarem Romanam jurisprudentiam; adhibita tamen in ſubſidium nobilisſimâ iſta de interpretationibus doctrinâ. Ita enim fit, ut nonſolum de æquitate & iniquitate juris Romani facilè *Ingreſſus.*

 judi-

Digitized by Google

judicari, ſed & eò promtius id, quod non nihil obſcurum videbatur, dignoſci queat. Poſſem hoc infinitis oſtendere exemplis, ſi id hujus loci eſſet. Sed hac vice ſaltem quotidianum & ſingularem caſum, quem proximè in foro ventilari poſſe animadverto, & de cujus tamen deciſione apud JCtos vix conſtat, in forma brevis cujusdam diſſertationis juxta datam methodum propoſiturus ſum. Quod ſi rem feriam, mihi gratulabor, ſi non, ætati aliquid indulgendum.

Scopus argumenti.

§. II. Tota quæſtio, uti jam tum ex rubrica conſtat, in eo conſiſtit, an illi ſumtus, quos poſt mortem parentis ex communibus bonis mater adminiſtratrix ad ſtudia proſequenda filiis ſuppeditavit, conferendi veniant? en ipſum caſum, prout nuper obvenit: Sex ſunt hæredes, ſorores tres, totidemque fratres, qui ſub adminiſtratione matris per duodecim ferè annos in communione bonorum vixerunt; parens enim absque ulla mentis teſtatione jam dudum diem obierat ſupremum. Moritur itidem mater, & hæreditas eſt dividenda inter fratres & ſorores; fratres autem omnes, ſororibus non refragantibus, ſtudiis operam dederunt. His mater ex communi maſſa ſtudiorum ſumtus ſuppeditavit, eosque in privatas redegit rationes. Quær. an iſti ſumtus in hæreditatis diviſione ſint conferendi ſororibus?

Quid ſint ſumtus ſtudiorum.

§. III. Ante autem quam ad ipſam deciſionem me accingo, è re eſſe duxi, paucis delibare, quid ſint ſumtus ſtudiorum, quæque eò pertineant, quæ nor, quid collatio, & quodnam genuinum ejus fundamentum. *Sumtus* iſti ſunt, ſine quibus vel planè non, vel non honeſtè aut commodè artes liberales addiſci queunt. Huc refero honoraria præceptoribus debita, & quicquid in eos, ſi intra privatos parietes informent, alendo vel alio modo impenditur; pecunias pro muſæis, victu & amictu, lignis, calceis, collegiis in quatuor, ut vocant, facultatibus ſolutas, impenſas itineris ad Gymnaſia & Academias &c. Quod ſi quis magis ſplendida gaudeat conditione, ea etiam ad hos ſumtus pertinent, quæ ad

exer-

exercitia, quod ajunt, v. gr. choreas, equitationes, athleticam &c. addiſcenda erogantur: hæc enim ſæpius commendare ſolent ſtudioſos, & majorem iis ſplendorem nonnunquam afferre ſolent. E contra ab his ſumtibus arceo, quos impendunt illi, qui torpentes otio, non niſi pecuniam dilapidant, nunquam vel ſemel collegia frequentant, quin potiùs diem noctemque potando continuare conſveverunt, frequentia inſtituunt convivia & commeſſationes, atque ſic Bacho, Veneri, & Vacunæ, non literis litant. Cum enim hi ſumtus planè contrarii ſint ſumtibus ſtudiorum, neutiquam ſub eorum nomine venire poterant, licet ab iis erogentur, qui in Academiis vivunt, & in matriculam univerſitatis recepti ſunt. (a) Conferatur hæc fuſius proſequens Dn. Schœpferus (b) & Krembergius. (c)

r. (a) *Andr. Gail. L. 2. O. 118. n. 8. 9. 10.* (b) *in Diſſert. de ſumt. ſtudior. cap. 1. paſſim, hab. Francof. 1687.* (c) *in pecul. tract. de ſumt. ſtudior.*

Quid ſit collatio.

§. IV. Collationem varii definiverunt variè, ac controverſiam ab aliis propterea experti ſunt. Verùm in verbis & definitionibus ſimus faciles, modò in re & tractatione ipſa conveniamus. Mihi eam ita potius deſcribere, quàm definire placet: quod ſit illatio lucri, à parentibus vivis profecti, in communem hæreditatem, ut æqualiter inter liberos dividatur. Per *lucrum* intelligo illud, ex quo locupletiores facti ſunt liberi; unde excluduntur ſumtus nuptialis convivii, peregrinationis, adeptæ dignitatis, & ſi quæ ſunt hujus generis alia. Id lucrum *à parentibus*, & quidem *vivis*, oportet eſſe profectum; ex quo duo conſeqvuntur, nimirum quod collationi (excepto tamen peculio caſtrenſi & quaſi caſtrenſi) inter liberos ſaltem, qui ad parentum hæreditatem adſpirant, locus ſit, nam qui ſe abſtinent ab eadem, conferre non tenentur, imò nec aſcendentes nec extranei conferunt: deinde, quod illa, quæ non vivis parentibus, ſed poſt mortem demum eorum comparata ſunt bona, colla-

Digitized by Google

tionem effugiant. Sed hanc quidem materiam ex profeſſo tractarunt Arnoldus Vinnius, Adamus Brunnerus, Stryckius aliique, quos recenſet doctisſimus Dn. Burchard Gothelf Struvius (*d*) ad quos me remitto.

(*d*) *in Biblioth. Jur. Select. c.* 3. §. 51.

Æqualitas inter liberos eſt obſervanda de jure Naturæ.

§. V. Juvabit tamen heic paulò altius evolvere, in quonam conſiſtat genuinum collationis fundamentum, ex Jure Naturæ derivandum, & cum Jure Romano combinandum; ita enim eò felicius caſum noſtrum decidere poterimus. Iſtud verò colloco in æqualitate, inter liberos obſervanda. Scilicet ex ratione naturali ſatis manifeſtum eſt, quod inter omnes omninò homines eodem modo natos & morituros æqualitatem quandam natura conſtituerit. Æquales enim ſunt, qui æqualia poſſunt; poſſunt æqualia, qui ſimul maxima poſſunt: at verò omnes homines etiam infirmiſſimi robuſtioribus mortem, quod certè maximum eſt, inferre poſſunt, uti rectè argumentatur Hobbeſius (*e*) & qui eum defendit celeberrimus Dn. Gundlingius. (*f*) Patet id porrò ex eo, quod, licet quidam præ cœteris animi corporisque dotibus excellere videantur, plus tamen licentiæ communibus fruendi juribus aut alios deterioris conditionis injuriâ afficiendi exinde haud conſequantur. (*g*) Videatur illuſtris Pufendorffius. (*h*) Quanto igitur magis æqualitas iſta inter liberos conſervanda erit, quippe inter quos intima ſanguinis cognatio æqualisque ex eodem ſanguine oriunda obligatio intercedit.

(*e*) *De civ. c.* 1. §. 3. (*f*) *in Diſp. de Stat. natural. Hobbeſ. in corp. jur. defenſ.* §. 18. *hab. Hal.* 1706. (*g*) *Notet, me hactenus dicta intellecta velle de Jure N. ante introductas respubl. conſiderato; quamvis non negem, quod & in iſto ſtatu illi, qui regulas juſti, honeſti & decori obſervaſſent, præ aliis honore ſeu virtutis æſtimatione digniores fuiſſent, ſtante nihilominus juris æqualitate, quod prius perperam negare videtur Hobbeſ. d. l. c.* 3. § 13. *Omnis autem moderna inæqualitas, ad quam cauſam dedere ambitio*

Digitized by Google

bitio avaritiaque mortalium, à jure civili profecta eſt, prout rectè contra Pufendorffium defendit Hobbeſium Dn. Gundling. d. l. (*h*) *de O. H. & C. lib. 1. c. 7. §. 2.*

Quod & de jure civili & praxi regulariter verum eſſe probatur.

§. VI. Ipſum Jus civile æqualitatem iſtam inter liberos identidem inculcavit, & pro fundamento totius collationum materiæ poſuit. Sic optimè ſanciverunt Imperatores, aliàs ſatis crudeles, Diocletianus & Maximianus, (*i*) *ut æqualitas inter fratres & ſorores in omnibus ſervetur.* Et Leo Thrax diſertè juſſit, (*k*) *ut liberis æquâ lance parique modo ſtudio æquitatis proſpiceretur.* Ipſe Juſtinianus monet parentes, (*l*) *ut æqualitatem inter liberos ſervare ſtudeant*, & alibi (*m*) de ſe profitetur, quod ſit *æqualitatis & juſtitiæ amator, & quod omnes liberi una eademque lance trutinari debeant.* (*n*) Idem fatentur Doctores, quorum in praxi multum valet autoritas, quod nimirum & hodiè omne collationis fundamentum abſolvat æqualitas. Videatur Richterus, (*o*) Gudelinus, (*p*) Stryckius. (*q*) Ita expreſſè legi in Theſauro locorum communium, (*r*) quod quotiescunque collatio non remiſſa " à defuncto, toties illa obtineat, ſeu teſtatò ſeu inteſtato ſuc- " cedatur (*s*). Ratio, quia præſumatur, teſtatorem me- " moriâ lapſum eſſe, aut mortis anguſtiis præpeditum omi- " ſiſſe collationis præceptionem, hinc ut æqualitas ſervetur, " illam omninò fieri debere. Hanc æqualitatem, quæ naturâ omnibus hominibus communis eſt, etiam hodiè & in ſtatu civili regulariter ſubſiſtere præſumendum eſt, (aliàs dignatio à natura debita ſine ulla cauſa detraheretur,) donec manifeſta inæqualitatis ratio ex juribus poſitivis afferatur: nam quamdiu ſummus in Republ. princeps voluntatem ſuam de inæqualitate, inter liberos introducenda, apertè non declaravit, tam diu juri N. nihil addidiſſe aut detraxiſſe videtur, quia hoc facti eſt, illud non.

(*i*) *In l. 4. C. Commun. divid.* (*k*) *In l. 17. C. de collat.* (*l*) *In Nov. 22. c. ult.* (*m*) *In Nov. 2. c. 5.* (*n*) *L. 10. C. de natur. liber. conf. Nov. 18. c. 6. l. 19. C. ad L. Falcid.*

 (*o*) *Vol.*

Digitized by Google

(*o*) *Vol.* 2. *Conſ.* 72. *n.* 8. (*p*) *De Jur. Noviſſ. l.* 2. *c.* 19. (*q*) *De Succ. ab Int. diſſ.* 11. *c.* 1. §. 6. *in fin.* (*r*) *Ex Barboſa, Tabore & Stryckio collecto c.* 37. *axiom.* 4. (*s*) *d. Nov.* 18. *cap.* 6.

Ergò conferendi ſumtus communis hæreditatis in ſtudia.

§. VII. Ex hiſce, quæ hactenus à me allata ſunt, non dubito ad caſum diſſertarionis meæ ſupra propoſitum reſpondere aſſerendo, quod ſcilicet ſumtus ſtudiorum, ex communi hæreditate ſuppeditati, omninò in collationem veniant ob æqualitatem, quam Jus Naturæ & civile tam luculenter ſvadere & injungere oſtenſum eſt. Ut proinde vix opus videatur, ulterioribus rationum deductionibus rem clariſſimam illuſtrare. Præſumtionem naturalem & civilem pro me habeo, quam, ſi quis elidere velit, illum liquidò intentionem ſuam probare oportet. Ergò in ſubſequentibus maximam partem operam daturus ero, ut potius negantium ſententiam meam argumenta reddam dubia, quàm ut nova ſubſtituam. Sic fundamentum meum, ſi contraria juxta ſe poſita ſunt, ſuâ ſponte clarius eluceſcet.

An ſumtus ſtudiorum à patre dati conferantur jure civili.

§. VIII. At fortè plurimis Doctoribus ſententia negativa in mentem non veniſſet, niſi ſibi perſvaſiſſent, quod Jus civile ſumtus ſtudiorum, à patre conceſſos, conferri haud voluerit; quem favorem tanquam præſuppoſitum etiam poſt mortem patris non denegandum eſſe, permultos, conquiſitis undique legibus legumque argumentis, contendere obſervavi. Proinde hic paulò altius inquirere liceat, an etiam favor iſte quoad ſumtus non conferendos, (nam aliàs magnum eorum favorem eſſe non dubito,) ex Jure Romano defendi queat: quod ſi enim hoc præſuppoſitum falſum deprehendero, quivis facilè intelliget, favorem, qui vivo parente non aderat, poſt mortem demum fruſtra quæſitum eſſe, niſi aliæ afferantur rationes, de quibus infra. Unanimi conſenſu omnes refugere video ad Ulpianum: (*t*) is verò, *quæ pater*, inquit, *filio emancipato ſtudiorum cauſâ peregrè agenti ſubminiſtravit, ſi non credendi animo pater miſiſſe fuerit comprobatus,*

ſed

Digitized by Google

ſed pietate debita ductus, in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patitur. (*u*) Vixit ſub Alexandro Severo adeoque ſeculo tertio Ulpianus noſter, cujus vitam, fata & ſcripta exhibent Bernardinus Rutilius, (*x*) & Valentin Förſterus. (*y*) Ergò videamus, an jam tunc temporis collegia inſtituta ſint, in quibus Doctores literas aut publicè aut privatim profeſſi fuerint, & à diſcipulis ſuis pro informatione mercedem acceperint; aliàs enim tota res corrueret. Negat hoc Dn. Georgius Beyer, (*z*) ſed neſcio ex quonam fundamento id fecerit conſultisſimus Autor, cum nihil hic ab eo allegatum ſit. Mallem itaque hac in parte contrariam amplecti ſententiam; præſertim cum disertè Ælianus Lampridius, (*a*) qui vixit, ni fallor, ſub finem tertii & initium quarti ſeculi, exprimat, *quod is (Severus ſcil.) Doctoribus auditoria & ſalaria decreverit.* Videatur Conringius. (*b*) Ex quo mihi certè præſumendum videtur, quod iſti Doctores diſcipulos ſuos non gratis docuerint. Et licet ſubjungat Conringius, quod auditoria iſta diuturna non fuerint, aut forte in uſum ne quidem recepta, fieri tamen potuit, quod Ulpianus, qui Alexandro à conſiliis erat, quædam circa hoc negotium diſpoſuerit, quo forſan pertinere dictum textum, non abſurdè quis opinari poſſet. Quid? quod & alibi circa hæc tempora ejusmodi ludi aperti fuerint, patet: ſic jam ipſius Alexandri ævo ſcholam Juris Romani Berythienſem in Phœnicia celebrem fuiſſe, conjicit idem Conringius. (*c*) Itaque hactenus communis opinio nullum videtur præjudicium ſentire, ſed nec de patrocinio quodam, meo quidem judicio, exinde ſibi gratulari poteſt. Quid ſi enim textum noſtrum planè de collatione non agere cum eodem Beyero aſſererem? Age, tentabimus. Eſt ſcilicet lex noſtra una ex fugitivis, prout loquuntur Dd, ſeu quæ in alieno loco & diverſa rubrica deprehenditur: tales verò quæ ſunt, non ſemper veram rei naturam deſcribunt, & proinde ex ordinaria ſua ſede explican-

plicandæ veniunt, rectè monente Hoppio. (*d*) Sed evolventi mihi ordinarium locum nihil quidem, ex quo explicationem ejusmodi repetere potuerim, reperire licuit; quin potius de omni re mox dubitare incepi.

(*t*) *In l. 50. ff. famil. ercisc.* (*u*) *Struv. Ex.* 37. § 30. *Vinn. de collat. c.* 13. §. 2. *Stryck. de S. A. J. d* 11. *c.* 3. §. 8. *Schœpf. tit. de coll. n.* 11. *&c.* (*x*) *In Vitis JCtorum veterum, quæ præmiſſa ſunt vitis JCtorum recentiorum Joh. Fichardi p. m.* 168. *ſeqq.* (*y*) *In Hiſtor. Jur. Rom. l.* 2. *c.* 77. (*z*) *In Poſition. ad ff tit. de collat. poſ.* 14. (*a*) *In Vita Alexandri Sev.* (*b*) *De Antiquit. Acad. diſſ.* 1. *p m.* 30. (*c*) *In Supplem. XIV. ad d. tract. adde diſſ.* 1. *p. m.* 18. 19. (*d*) *In Comm. ad* §. 2. *Præm. J. verb.* CONSONANTIAM.

Senſus l. 50. ff. famil. erciſc.

§. IX. Dico itaque prædictam *l.* 50. *ff. fam. erc.* non de collatione, ſed de imputatione in legitimam loqui, quæ maximè à ſe invicem diverſæ ſunt, (*e*) & tamen ſæpè à Dd. confundi conſveverunt. Movent me non tantùm verba: *portionis quæ ex defuncti bonis ad filium pertinet*; nam optimè exhauriunt naturam legitimæ, (*f*) nec aliter ferè intelligi poſſunt, quia legitima propriè ex bonis defuncti ad filium pertinet, cum extra eam omnia in alios pater transferre poſſit per jura notisſima, (*g*) ut adeò illam ſic ferè definiant omnes; (*h*) ſed & quod iſti ſumtus in eam portionem *computari* non debeant. Cur igitur iſtam computationem interpretaris collationem? ſanè à proprietate verborum non temerè tibi recedere permiſſum eſt; unde & de imputatione in legitimam textum hunc jam pridem explicavit Petrus Gregor. Tholoſanus, JCtus in Gallia antehac celebris, (*i*) prout eum allegat & ipſe ſequitur Georg Rieß. (*k*) Sed objicis, quid inde? nam quæcunque non imputantur in legitimam, ea nec conferuntur. Videantur illuſtr. Stryckius (*l*) ejusque citati Dd. Reſp. me eadem facilitate id negare poſſe, qua tu affirmas. Ne tamen tanti JCti aliorumque autoritatem

temerè

Digitized by Google

temerè contemnere videar, perpendas quæſo verba Juſtiniani, (*m*) quando multa conferri poſſe dicit, quæ tamen in legitimam non computantur: (*n*) ſic non credo ſimplicem donationem imputari, licet eam conferri debere cum aliis mihi perſvaſum habeam. Quod ſi denique plenum totius textus ſenſum caſumque juxta meum conceptum exſpectes, en habe & illum: Pater habuit aliquot filios, ex quibus unus ſtudiorum gratiâ peregrè profectus eſt, cui ſubminiſtravit ſumtus ad ſtudia & peregrinationem neceſſarios, nec quidquam diſpoſuit, an illi deinceps in legitimam portionem imputari debeant: moritur poſtea parens, eumque filium, quia fortè multæ expenſæ in eum erogatæ ſunt, in legitima portione hæredem inſtituit: (nam ſine ejusmodi mentis teſtatione de legitima quæri non poterat) Incidit jam quæſtio, an iſti ſumtus, cum dividitur hæreditas, in illam portionem computari debeant? & reſpondet JCtus, quod non, ex ratione, quoniam pater eo ipſo, quod nihil de his dixerit, pietate debita ductus id haud voluiſſe cenſeatur. (*o*) Si tibi fortè non arridet hæc explicatio, mihi ſufficiet, ſi ſaltem concedes, eam non eſſe impoſſibilem, nam id & ego tuæ interpretationi promitto. Ad minimum ergò ſequetur, dubiam eſſe utriusque mentem. Quapropter meliores affer rationes pro Jure Romano; nam rei dubiæ per æquè dubiam nulla eſt probatio, ſiquidem certitudo de ejus eſt eſſentia, (*p*) & in dubio præſumendum pro regula juris naturalis, quam ſupra dedi, æqualitatem eſſe ſervandam. Quod ſi denique textum de ſumtibus ſaltem peregrinationis, qui etiam non conferuntur, interpretari velis, mihi quidem perinde erit.

(*e*) *Collatio enim, ut ex ſuperioribus patet, æqualitatem, imputatio verò in id potisſimùm intendit, non ut æqualitas in ſucceſſione obſervetur, ſed ut conſtet, filium ſalvam habere legitimam, vel hæredem extraneum Falcidiam aut Trebellianicam. L. 91. pr. ff. ad L. Falcid. Stryck. de S. A. J. d. 11. c. 1. §. ult. Wedderkopf. in Diſp. de Collat.*

 bon.

bon. c. 4. §. 10. pag. 30. habit. Kilon. 1673. (*f*) *vid. l. 15. ff. de jur. codic. l. 36. §. 1. C. de inoff. teſt. l. 8. §. 6. ff. eod. l. 20. pr. C. de collat.* (*g*) *vid. l. 8. C. de inoffic. teſt.* (*h*) *vid. Struv. Ex. 10. §. 10. Dn. Ludov. tit. de inoff. teſt. §. 5. Dn. Beyer ibid. poſ. 13. Hopp. ad § 1. J. eod. verb. liberis tantùm. Suthol. diſſ. 9. §. 26. &c.* (*i*) *in Syntagm. l. 44. c. 5. n. 52.* (*k*) *in diſſ. inaug. de Legitima, §. 29. hab. Argentor. 1667.* (*l*) *dict. loc.* (*m*) *in l. 20. in fin. pr. C. de collat.* (*n*) *Poſtquam hæc ſcripſeram, incidit in manus meas noviſſima editio Poſitionum Juris Civilis & Feudalis Dn. Georgii Beyeri, ubi eandem ſententiam eodem modo probat. vid. poſ. 14. tit. de collat. & poſ. 25. ſeqq. tit. de inoff. teſt.* (*o*) *Hic caſus neutiquam confundendus eſt cum alio, quando ſc. in ſtudia filii tot ſumtus impenſi ſunt, ut reliquis liberis legitima ſalva non maneat, ſic enim utique imputantur. Stryck. d. diſſ. c. 3. §. 22.* (*p*) *vid. l. 10. C. de probat. c. 8. X. eod.*

An ſumtus ſtudiorum pertineant ad peculiũ quaſi caſtrenſe.

§. X. Hem, inſtas, novum argumentum, quod ſumtus ſtudiorum non conferantur, quia pertinent ad peculium quaſi caſtrenſe, tale verò quod eſt, à collatione in jure noſtro immune eſt, ut conſtat: (*q*) unde cum priori *l.* 50. conjungit *l.* 1. §. 15. *de coll.* Dn. Ludovici. (*r*) Verùm enimverò præterquam quod *d. l.* 50. de filio emancipato loquatur, qui peculium habere non poteſt, (*s*) ſed patrimonium, (*t*) niſi admodum abuſivè Ulpianum locutum eſſe dicere velis; reſpondeo negando antecedens, ejusmodi nimirum ſumtus pertinere ad peculium quaſi caſtrenſe. Hoc enim nihil aliud eſt, quàm quod filius famil. ex militia togata, ſeu ex publicis officiis acquiſivit. (*u*) Cogita jam, an huc referri queant ſumtus ſtudiorum? mihi ſanè non videtur, & gaudeo mecum in hac re conſentire acutiſſimum Vinnium, (*x*) Strauchium, (*y*) Schneidewinum; (*z*) neque enim ullibi in jure ſtudioſi militare dicuntur, neque in eorum numero haben-

habentur, quos recenſet *l. ult. C. de inoff. teſt.* quod eſt argumentum Vinnii ſatis concludens, quandoquidem hic in materia juris ſingularis & privilegii verſamur, ubi interpretatio extenſiva locum habere nequit, prout rectè obſervavit Dn. Capaun. (*a*) præſertim ſi tertii, uti hic eſt, incommodum ſubſit. (*b*) Nec quidquam mihi obſtare puto, quod peculium quaſi caſtrenſe imitetur naturam peculii caſtrenſis; in hoc verò cadant etiam ea, quæ ad inſtruendam futuram militiam dantur, quod objicit B. Stryckius; (*c*) ex quo conſequens videtur, quod & ſumtus ſtudiorum, qui ſunt præparatoria militiæ togatæ, peculio quaſi caſtrenſi adſcribendi veniant. Sed nego iterum, quod ea, quæ ita militiæ inſtruendæ cauſſâ dantur, v. gr. ad diſcendum delineare munitiones &c. ad peculium caſtrenſe pertineant, & mecum negat Stryckio allegatus Haunold. (*d*) neque enim hæc ex militia ſagata aut ejus occaſione adquiruntur. Afferunt quidem Doctores binas pro ſe leges; (*e*) ſed quod primam attinet, ea planè contraria eſt ipſis, & meam ſententiam magis confirmat: loquitur enim expreſſè de eo, qui in militia agit, & excludit omnia à peculio caſtrenſi, quæ quis ex militia non adquirit. Poſterior lex huc planè non quadrat; agit enim de uſucapione, à qua in materia hac ſingulari argumentum, meo quidem judicio, ſumere non licet. Novius argumentum in medium profert Dn. Schœpferus, (*f*) quando tyronem militem noviter lectum & in numerum relatum cum ſtudioſo, ut vocant, immatriculato, tanquam tyrone militiæ togatæ, comparat, ideóque hunc eodem modo, quo illum, peculio gaudere concludit. Sed quis non videt, priorem revera militem eſſe juxta propria Dn. Schœpferi principia, (*g*) poſteriorem verò ſaltem vocari tyronem absque ullo reſpectu, quaſi jam miles togatus ſit? aliàs enim & in ſcholis trivialibus diſcentes pueri huc referendi eſſent, nam & hi tyrones audiunt, an fortè militiæ, ſit venia verbo, togandæ?

(q) l. 1. §. 15. ff. de collat. (r) tit. de collat. §. 3. *(s) l. 182. ff. de V. S. (t) l. 195. §. 2. d. t. (u) l. ult. C. de inoff. teſt. Struv. Ex. 20.* §. 68. *Hopp. ad §. 1. J. per quas perſ. cuique. Verb. caſtrenſibus. Schœpf. tit. de pecul. n. 10. 11. (x) in tract. de collat. c. 10.* §. 11. *(y) Exerc. Juſtin. XI.* §. 44. *(z) in §. 20. J. de act. n. 50. (a) in Diſſ. inaug. de Poteſtat. Princip. in ſubdit. Sect. 2.* §. 6. *per l. 141. ff. de R. J. adde l. 14. 15. 16. ff. de legib. c. 61. de R. J. in 6to, & Dn. Præſid. in Prudent. Legisl. §. 45. (b) Schœpf. tit. de conſtit. princ. n. 15. (c) loc. citato. (d) de J. & J. tr. 6. c. 8. contr. 10. n. 572. (e) ſcil. l. 11. ff. de caſtr. pecul. & l. 14. ff. famil. erciſc. (f) tit. de pecul. n. 12. 13. (g) tit. de re milit. n. 1. 3.*

An ſub alimentis & ſumtus ſtudiorũ contineantur.

§. XI. Alii hoc movent, quod iſti ſumtus propterea non conferantur, quia pater ad alimenta, filio ſuppeditanda, teneatur, quæ tamen non conferuntur, ſub alimentis verò & hi ſumtus contineantur; nam, dicente Seneca, vita mors eſt ſine literis, quippe quæ ſunt alimenta animi. Ita incedunt Ortholphus Fomannus, *(h)* Nicolaus Thilenius *(i)* & Dn. Schœpferus. *(k)* Verùm exinde hæc ſequuntur paradoxa 1. quod ſumtus non conferantur, licet pater proteſtatus ſit, ſe repetendi animo eos erogaſſe, quia proteſtatio in iis, quæ neceſſariò & lege jubente fiunt, effectu caret. *(l)* Quæ cum videret Fomannus, etiam in hanc, quod miror, ſententiam deſcendit. 2. Quod multis, qui non ſunt liberi, ſumtus tamen ſtudiorum debeantur, quia alimenta ipſis debentur. *(m)* Contrarium diſertè nos docet Javolenus, *(n)* quando, ſub alimentis ea non contineri, inquit, quæ ad diſciplinam pertinent. Nec ad rem facit, quando Doctores diſtinguunt, an alimenta debeantur ex jure ſanguinis, an ex diſpoſitione hominis, ita ut non quidem poſteriori, benè tamen priori modo ſub alimentis hi ſumtus contineantur: *(o)* nam id ſaltem locum habet, quando ſummæ neceſſitatis tempus adeſt, nec bona paterna ad ſtudia ſufficiunt, *(p)* de quo tamen caſu nos abſtrahimus.

(h) In

Digitized by Google

(*h*) *In diſp. de collat. bonor. §. 22. hab. Jen. 1631.* (*i*) *in diſp de coll. bon. in mater. §. 8. hab. Gieſſæ 1676.* (*k*) *in diſp. ſupra cit. c. 3. n. 11.* (*l*) *vid. l. 27. ff. de conſt. pecun.* (*m*) *vid. Gothofr.* Findekeller *diſp. in augur. de Alimentor. præſtation. hab. Argentor. 1670.* (*n*) *in l. 6. ff. de aliment. legat.* (*o*) *Schœpf. tit. de legat. n. 59.* (*p*) *Id. in d. diſp. c. 3. n. 37.*

§. XII. Audio te adhuc muſſitare: Quanta ſtudiorum privilegia, quantus eorum favor, æquè ac Reip. magnus! (*q*) ſtudiis totus illuminatur mundus, omnisque ferè reſpublica & eccleſia gubernatur; quapropter ſaltem iniquum foret, ſi ſumtus literarii in collationem venirent; alioquin metu collationis multi deſererent ſtudia. Quis namque vellet amore ſcientiæ exul fieri, de divite pauper, multis periculis ſeſe exponere? (*r*) tot facere lucubrationes, tot ferre labores, ſi ſciret, ſtudia propriis ſumtibus proſequenda eſſe? (*s*) Sed bona verba quæſo! Turcia non regitur literatis, nec veteres Germani alebant eruditos, & tamen neſcio, an hodierni Germani præ Majoribus ſuis hac in parte feliciores ſint habendi. Quæ præterea eſt collectio? Magnus eſt ſtudiorum favor, ergò eorum ſumtus non conferuntur. Cur igitur dos confertur, cujus tamen æquè magnus favor? (*t*) Quid ſi eodem modo inferrem? quod fœminæ metuerent nubere: quænam enim vellet ideò, ut reſpublica hominibus augeretur, à paterna familia exul fieri, de virgine mulier, infinitis partus periculis ſeſe exponere, & tot pro marito liberisque labores perferre, ſi ſciret dotem eſſe conferendam? Vides igitur utrumque & ſtudium & matrimonium non ab illo metu, ſed ex aliis deſcendere adfectibus. Equidem diverſas inter ſtudia & dotem rationes eſſe contendit Schröterus; (*u*) ſed quæ ab eo afferuntur, aut leviſſimæ ſunt, aut è dictis faciliſmè divelluntur.

Favor ſtudiorum non excludit collationem.

(*q*) *l. 1. C. qui ætat. vel profeſſ. l. 10. t. 49.* (*r*) *Auth. Habita C. ne fil. pro patr.* (*s*) *Dn. Ern. Frid. Schröter in diſp.*

diſp. de collat. §. 28. hab. Jen. 1654. (*t*) *l. 2. ff. de jur. dot. l. 1. ff. ſol. matr.* (*u*) *cit. loc.*

Ergò communi ſententiâ rejectâ noſtra fit clarior.

§. XIII. Ex his fundamentis mihi planè perſvaſum habeo, iſtam de non conferendis ſumtibus ſtudiorum ſententiam, licet communi Doctorum calculo approbatam, quoad Jus Romanum ſi non falſam, ad minimum tamen dubiam fuiſſe redditam: ad quod, ut ingenuè profitear, me commovit juris naturalis evidentia, cum Romanarum legum obſcuritate comparata. Ex quo ſuâ ſponte fluit, quod ſumtus ſtudiorum poſt mortem patris ſubminiſtrati utique in collationem veniant. Etenim ſi, quos ipſe parens vivus ſuppeditavit, conferuntur ſumtus, multo magis ii conferri debent, quos mater poſt obitum ejus erogavit: nam pater ex opera & officio ſuo patrimonium augere & locupletare poteſt, unde eò facilius has expenſas ſentiunt reliqui liberi ſtudiis non incumbentes. Sed verò poſtquam è vivis exceſſit genitor, hæc plerumque aliter ſeſe habere ſolent, ubi ſuperſtites liberos matremque ex iis, quæ reliquit pater, bonis ſe ſuſtentare oportet, ad quæ tamen omnibus eadem competebant jura.

Imò licet vera eſſet illa communis, tamen non obſtaret.

§. XIV. Poſito ergò ſed non conceſſo, quod ſumtus à patre dati non conferri debeant, longè tamen alia & diverſa eſt ratio cum iis, qui poſt obitum ejus ex communibus bonis conceſſi ſunt, uti ex jamjam dictis manifeſtò apparet. Accedit, quod pater omnia bona usque ad legitimam portionem liberis auferre poſſit: quod ſi igitur vel maximè leges civiles de ſumtibus paternis ita diſpoſuiſſent, falleret id tamen in communibus liberis, quippe qui ideò, quia pater, cum moriretur, nihil iſtis abſtulit, rerum paternarum fiunt domini pleniſſimi & quidem omnes æqualiter: nam jam vivo eo rerum paternarum dominium aliquo modo ipſis conceſſum erat, nullo habito reſpectu, an ſtudiis operam darent nec ne. (*x*)

(*x*) *l. 11. ff. de liber. & poſth.*

Inter communes libe-

§. XV. Sed jam objiciunt diſſentientes, quod inter liberos, qui bona paterna poſſident indiviſa, univerſalis ſocietas con-

Digitized by Google

contracta intelligatur, adeóque iſti ſumtus collationem effugiant: quam ſententiam fovent Struvius (y) ejusque allegati. Quod ſi hoc verum ſit, utique aſſerendum videbatur, quod ſumtus ſtudiorum extra collationem ſint conſtituti; nam in hac ſocietate omnia ex communibus bonis erogantur. (z) Videamus igitur, an fundamento nitatur iſta hypotheſis. Me quod attinet, absque ulla hæſitatione negativam arripere ſententiam non dubito. Univerſalis enim ſocietas non videtur contracta, niſi ſpecialiter id actum eſſe doceatur. (a) Quandoque tamen ex ipſo facto ſine conventione de hac ſocietate conſtat, utpute, ſi liberi nonſolum paterna bona, ſed & omnia ea, in quorum inciderunt communionem, pro indiviſis poſſideant; ſi inſuper omnia lucra & damna communicent, nec rationes à ſe exigant unquam. (b) Quod ſi vel minimum ex hiſce requiſitis deficiat, ita ut alter quid quantulumcunque proprio nomine expediat, ſibive habeat, ejusmodi univerſorum bonorum ſocietas haud contracta videbitur. (c) Jd verò ubi non apparet, fratres nihilominus, quod aliundè quæſivere, in commune redigere neceſſe non habent. (d) Hinc dicendum, fratres non vivere in ſocietate univerſali, ſed rei univerſalis, hæreditas enim eſt univerſitas quædam. (e) Ex quo manifeſtum fit, quod impenſæ, in ſtudia factæ, ad commune omnium onus non pertineant, quia nec lucrum commune eſt. (f)

Fratres non eſt ſocietas univerſalis.

(y) *Ex.* 37. §. 30. *id colligo ex lege, quam citat* 52. §. *ult. ff. pro ſoc.* (z) *l.* 73. §. 1. *ff. d. t. Struv. Ex.* 22. §. 27. *Ludov. d. t.* §. 2. (a) *l.* 3. §. 1. *l.* 5. *l.* 67. §. 1. *ff. pro ſoc.* (b) *Menoch. de Praſ. L.* 3. *pr.* 58. *n.* 24. & 37. (c) *l.* 4. *C. commun. utr. judic. ibique Gothofr. adde Codic. Fabrian. l.* 4. *tit.* 27. *def.* 3. (d) *l.* 52. §. 6. *ff. pro ſoc. l.* 20. §. 6. & 7. *l.* 39. §. 3. *ff. famil. erciſc. l.* 15. *l.* 43. §. *ult. ff. de muner.* (e) *l.* 24. *ff. de V. S.* (f) *conf. Vinn. de collat. c.* 13. *n.* 3. *Schneidew. ad* §. 20. *J. de act. n.* 56. *adde Mev. p.* 8. *dec.* 13.

§. XVI.

Digitized by Google

Mater & fratres non tenentur ad ſumtus ſtudiorum.

§. XVI. Id quod magis ex eo confirmatur, quia mater & fratres non tenentur ſtudiorum ſubſidia ex propriis bonis ſuppeditare, multo minus ad hæc cogi poſſunt, ut ea donent: neque enim ullo jure iſta neceſſitas injuncta eſt ipſis, (*g*) ſed potius contrarium nos docet Ulpianus, quando illis, qui ipſi bona habent, alimenta, nedum ſumtus ſtudiorum decerni debere ex reſcripto Divi Pii negat. (*h*) Et hac quidem in parte credo mecum facilius tranſacturos eſſe Doctores. (*i*) Ex quo conſequitur, quod, ſi mater vel fratres ejusmodi ſumtus absque declaratione ſtudioſo miſerint, eos vel ex portione fratris ſtudioſi, vel animo repetendi transmiſerint propter excluſam donationis præſumtionem.

(*g*) *Non obſtat l. 4. ff. ub. pupill. ed. l. 6. §. 5. ff. de Carb. edict. loquuntur enim de ſumma neceſſitatis tempore.* (*h*) *in l. 5. §. 7. & ult. ff. de agnoſc. & al. lib. adde l. ult. ff. de petit. hær. ibiq; Gothofr. Lit. D. l. 34. ff. de N. G.* (*i*) *vid. Brunner. de coll. c. 4. n. 245. Kremb. de Sumt. Stud. qu. 2. n. 4. Dn. Schæpf. d. diſp. c. 3. n. 37.*

Inter fratres donatio non præſumitur.

§. XVII. Sentio potisſimum momentum quæſtionis noſtræ verſari in hac ultima mea aſſertione, ubi donationis præſumtionem excluſi. Nam omnes ferè Doctores in eo convenire obſervari, quod inter communes liberos, quando quidam ex his, reliquis ſcientibus & non contradicentibus, ſumtus in ſtudia impendunt, donationem præſumant. (*k*) Sed quod cum bona omnium pace dixerim, mihi non magnoperè placet iſta ſententia: nam nonſolum ipſa ratio, ſed & jura noſtra ſatis clarè indigitant, quod in dubio nemo ſuum jactare velle præſumendus ſit. (*l*) Quam regulam tamdiu ſubſiſtere oportet, donec diſſentientes, ſi quid ab illa eximere velint, clarè & perſpicuè probent: nam & in foro reus, ſi factum non diffiteatur, ſed aliquid ſaltem excipiat, excipiendo fit actor, i. e. probare debet fundamentum exceptionis ſuæ.

(*k*) *vid.*

Digitized by Google

(k) *Vid. Struv. Ex. 37. §. 30. Matth. Berlich. in Deciſ. aur. p. 1. dec. 8. n. 1. 3. ibique plurim. alleg. Dd. Petr. Rebuff. de Privil. Stud. priv. 59. Hartm. Piſtor. l. 1. quæſt. 19. n. 2. ſeqq. Schœpf. tit. de collat. n. 12. & in d. diſp. c. 3. §. 39. 40. Hillig. de expenſ. ſtud. n. 56. in fin. Schneidevv. (quem tamen pro diſſentiente allegaſſe miror Dn. Ludov. c. l.) ad §. 20. J. de act. n. 58. &c.* (l) *l. 25. pr. ff. de probat. Menoch. de Præſ. l. 4. pr. 146. n. 13. Mev. p. 2. D. 18. n. 4. quando autem donatio præſumatur, docet idem Mev. p. 4. D. 317. & p. 8. D. 194. n. 3. ſeqq.*

Reſpondetur 1. ad l. 38. §. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor.

§. XVIII. Hæc cum intelligerent Doctores, tentavêre quibusdam textibus ſuam ſtabilire ſententiam, quibus, quia nullibi reſolutos vidi, pro ingenii modulo ſatisfacere conabor. Initium faciam à *l. 38. §. 1. ff. de donat. int. vir. & ux.* ad quam provocant ſupra dicti Autores. In iſta ſequens proponitur caſus: Tres erant fratres, ex quibus alter rem communem uxori donabat; Quær. quid ex illa donatione conſequatur mulier? & reſpondet Alfenus, quod, ſi id ſciſſent reliqui fratres, aut poſt donationem ratum habuiſſent, duas partes non teneatur reddere uxor, nam pro tertia parte non valebat donatio, quia hæc inter conjuges eſt prohibita. Rationem prioris aſſignant ex Gloſſa Schneidewinus, Berlichius &c. quod fratres ob affinitatem donaſſe cenſeantur; ergò pergunt argumentari: ſi id procedit ratione affinitatis, quantò magis ratione fraternitatis. Sed falſam eſſe effictamque hanc rationem arbitror, quia propior & magis conveniens dari poteſt; ſcilicet quia fratres tacentes, dum ſciebant & non impediebant hanc donationem, nec aliam ſilentii cauſam pro ſe allegare poterant, pro conſentientibus habentur, nam ſine dubio contradixiſſent, ſi aliter fieri voluiſſent. Videatur illuſtris Dn. Coccejus. (*m*) Aliàs fratrum quoque & affinium gratia rara. Ergò quidem largior lubens, ſi mater vel unus ex fratribus & ſororibus alteri ſumtus ſtudiorum concedat, & expreſſè addat, ſe eos donare, quod reliqui non

reſiſten-

Digitized by Google

reſiſtentes etiam donaſſe cenſeantur. Verùm enim verò de ejusmodi caſu non eſt quæſtio, ſed de eo, ubi ſumtus ſimpliciter ſaltem, & absque ulla donationis mentione eroganturr. Nam heic, licet reliqui non refragentur, alia & probabilis ratio ſubeſſe poterat, quare non contradixerint, utpute, quia cogitarunt, jus ſuum nihilominus ſalvum manere, & quod ſtudioſus in bonorum diviſione eò minus ſit accepturus: hoc enim & ſimili in caſu taciturnitas pro conſenſu non eſt habenda. (*n*)

(*m*) *In Diſp. de Silent.* §. 11. 12. *hab. Heydelb.* 1682. (*n*) *conf. l.* 8. *§.* 15. *ff. quib. mod. pign. ſolv. & Dn. Coccej. d. diſſ.* §. 13.

Reſpondetur 2. ad l. 26. ff. de probat.

§. XIX. Imò verò, inſtat Berlichius, donatio inter conjunctos, multo magis inter fratres & ſorores facilè præſumitur, eumque in finem pro ſe allegat *l. 26. ff. de probat.* cujus hæc eſt ſententia: frater ſorori fideicommiſſum debebat, quod ſoror poſt mortem ejus cum hæredibus compenſare cupit; ibi decidit Papinianus, quod ea compenſatio non procedat, ex ratione, quia ſoror illud fideicommiſſum nunquam deſideraverat à fratre, quamdiu in vivis erat, cum tamen toties quoties inter eos rationes calculatæ fuerint. Sed ſalva res eſt: nam ubi ejusmodi circumſtantiæ concurrunt, non ſolum inter conjunctos, ſed & extraneos præſumitur donatio. Qui diu tacet, uti hic factum erat, juri ſuo renunciaſſe videtur; (*o*) præſertim ſi vivo debitore nihil deſideratum ſit, (*p*) ne dicam, ſi toties calculatæ ſint rationes, nec tamen ulla debiti ſit mentio facta: (*q*) nam & hoc hodienum inter mercatores fieri ſolere ex ore celeberrimi Dn. Zollii noſtri me audiviſſe memini. Concedam ergò & hoc, quod ſumtus ſtudiorum donati videantur, ſi hujusmodi accedant circumſtantiæ. E contra ubi abſfuerint iſtæ, regulæ ſtandum eſſe exiſtimo. Reliqua dubia ſunt leviora.

(*o*) *vid. l. 69. pr. ff. de jur. dot. Menoch. de Præſ. L. 3. pr. 135. n. 6. 7. Mev. p. 4. Dec. 317. n. 7.* (*p*) *Menoch. d. l. n. 21. & L. 2. pr. 91. n. 7.* (*q*) *Schæpf. tit. de neg. geſt. n. 25.*

§. XX.

Digitized by Google

§. XX. Atque hanc meam ſententiam ante me jam tum fecerunt ſuam Conſultiſsimus Dn. Ludovici, (r) & illuſtris B. Stryckius, (s) qui duo affert præjudicia, quæ, ut hic inſerantur, digna mihi viſa ſunt. Sic reſponſum fuit à Scabinis Lipſienſibus A. 1667. Menſe Junio. Daß der Sohn dasjenige/ was er nach des Vattern Tode aus gemeiner Erbſchafft genoſſen und empfangen/ in gemeine Theilung zu conferiren/ oder ihm an ſeinen zukommenden Antheil/ er habe es gleich zu Continuirung ſeiner Studien oder ſonſten angewendet/ abkürtzen zu laſſen ſchuldig. Eodem modo reſponderunt JCti Francofurtenſes An. 1682. d. 10. Auguſti. Was die Sumtus Studiorum betrifft/ iſt zwar gantz bekandten Rechtens/ daß ſelbe bey der Erbtheilung in keine Collation kommen. Weil aber ſolche ſumtus ſtudiorum gröſten Theils nicht vom Vater/ ſondern von der Mutter nach des Vatern Tode vorgeſchoſſen/und eine Mutter gleich den Vater ad ſumtus ſtudiorum nicht verbunden; Zumahlen da der Sohn ſein Väterliches Antheil gehabt/ welches in der Mutter adminiſtration geweſen/und alſo denen Rechten nach præſumirlich/ daß die Mutter nicht von ihren eigenen Mitteln / ſondern von des Sohns Vatern-Guth den Vorſchub zu denen Studiis gethan habe; Denn/obgleich die Mutter mit denen Kindern in ungetheilten Gütern geblieben/ und alſo aus gemeiner Erbſchafft die Unkoſten genommen/ ſo hat dennoch die väterliche Obligation ad præſtandos ſumtus per mortem ihre Endſchafft genommen/ und ſind die Miterben aus gemeinen Gütern zu Verkürtzung ihres Antheils hierzu etwas abfolgen zu laſſen nicht ſchuldig geweſen: Deßhalb wir dafür halten/daß die Söhne dasjenige/was ſie nach des Vatern Ableben durch ihr Studiren conſumiret/ in gemeine Theilung zu bringen/oder ihnen abkürtzen zu laſſen/ſchuldig ſeyn.

Subjunguntur præjudicia.

(r) *in Doctr. ff. tit. de collat.* § 3 (s) *de S. A. J. diſſ.* 11. c. 3. §. 12.

§. XXI. Lubet heic ſubjicere quæſtionem, an illa debita, quæ filii vivo adhuc patre ſtudiorum cauſâ contraxêre, poſt mortem parentis ex communi hæreditate exſolvenda veniant, ac à collatione ſint immunia. Ubi quidem certum

An debita ſtudiorum cauſâ vivo patre con-

 eſt,

tracta ad onus hæreditatis pertineant. eſt, ſi Jus Romanum ſeponamus, & ſaltem ad praxin hodiernam convolemus, quod hæredes iſta ſine collatione teneantur ſolvere. Si enim pater obligatus erat ad hæc debita exſolvenda, quæ, ſi nihil diſpoſuit, à collatione exemta ſunt, ea etiam obligatio ad hæreditatem, quippe quæ defunctum repræſentat, translata erit. Quod ſi verò juxta leges Romanas, quæ tamen hoc in paſſu non ſunt receptæ, mihi reſpondendum eſſet, negativè deciderem hanc quæſtionem ob rationes, quas ſupra deduxi latius.

Concluditur conſilio. §. XXII. Hæc, quæ de ſumtibus ſtudiorum conferendis dixi, licet ita ſeſe habere videantur; malim tamen, temperamentum aliquod hac in re adhiberi, ita, ut non tam rigoroſè cum ſtudioſo procedatur; ſed ut earum rerum, quas ſorores & fratres non ſtudentes conſumſère, ratio habeatur. Nam his domi alimenta, veſtes, &, ſi quæ ſunt alia, ſuppeditantur, quæ tamen conferre non ſolent. Ex adverſo pecunia, quâ iſthæc in exteris locis ſibi comparare oportet ſtudioſum, ad ſumtus ſtudiorum refertur. Nec movent me operæ ſororum & fratrum reliquorum in re familiari, quia tanti ponderis non videntur, ut propterea ab harum rerum collatione ſe planè queant excuſare; nam & levi ſatis mercede conduci poſſunt ſervi & ancillæ, qui ad ejusmodi operas magis apti & adſveti ſunt. Ergò ſi hoc in puncto arbitrium mihi deferatur, collationem ſumtuum ſtudiorum ad dimidiam ferè partem reſtricturus eſſem. Sed iſta quidem hactenus.

COROLLARIA.

1. Quot ſunt Juris Naturæ Doctores, tot ferè principia excogitantur, ſed tota lis ſupervacanea eſſe videtur.
2. Habet & principium J. N. Thomaſianum, felicitas ſcil. generis humani, quod ei poſſit objici.
3. Non datur Jus Gentium, Juri Naturæ contradiſtinctum.
4. Materiæ tutelarum & teſtamentorum, licet Juri Naturæ convenire dicantur, ex eo tamen originem non trahunt.
5. Diſtinctio adulterii in ſimplex & qualificatum neque in naturali, neque in civili, imò nec in Divino jure fundamentum habet.

6. Sepa-

Digitized by Google

6. Separatio quoad thorum & menſam eſt chimera.
7. Quod polygamia majus adulterio crimen dicatur in Conſt. crim. art. 121. ad jurisprudentiam papizantem pertinet.
8. Imò ex eodem articulo expeditum nondum eſt, an pœna polygamiæ ſit capitalis.
9. Quin & valdè adhuc dubito, an ipſius adulterii pœna ſit capitalis, ſi per viam inquiſitionis procedatur, non obſtante art. 120. C. crim.
10. Diviſio dotis in profectitiam & adventitiam apud Germanos eſt inutilis.
11. Circumſtantia nunquam variat jus.
12. Falſum eſt, ibi incipere JCtum, ubi deſinit Ethicus.
13. Feras beſtias non acceſſionem territorii, ſed hodienum res nullius eſſe, exercitii gratia tuebor.
14. Non dantur Quaſi contractus.
15. Nec contractus literalis.
16. Societatem donationis cauſa contrahi poſſe, non rectè ſatis videtur aſſerere illuſtris quidam JCtus.
17. Bonorum poſſesſionem contra tabulas apud Germanos ferè extra uſum eſſe, exiſtimo.
18. Quod nemo niſi 20 annorum arbiter eſſe poſſit, fortè ad nævos Juris Romani pertinet.
19. Diſtinctio litis conteſtationis in affirmativam & negativã fundamento caret.
20. Quo minus omnis proceſſus ex mutuo partium conſenſu ſummarius fieri poſſit, nihil prohibet.
21. Sententia Doctorum, quod ad ſpecialem inquiſitionem indicia probabilia ſufficiant, admodum periculoſa eſt.
22. Quod is, qui in prima torturâ confeſſus eſt, & deinde revocat, pro lubitu judicis denuò torqueri poſſit, ab æquitate non parùm alienum eſt.
23. Originem feudorum Longobardis non deberi, palpabiliter oſtendi poteſt.
24. Neque tamen Struvio ejusque aſſeclis aſſentior, qui eam Germanis in genere adſcribunt.
25. Ergò iis, qui pro veteribus Francis in ſpecie pugnant, calculum meum addo.
26. Dominus, absq; conſenſu vaſalli feudum alienans, non amittit proprietatem.
27. Aliud tamen dicendum mihi videtur in feudis oblatis.
28. Judicium Rotwilenſe à Conrado III. introductũ eſſe, malè putat Schwederus.
29. Fridericum I. à Pontifice pedibus calcatum eſſe, fabula eſt.
30. Henricum VII. venenatâ hoſtia necatum eſſe, meritò dubitari poteſt.
31. Qui hominem cum Stagirita animal naturâ politicum eſſe aſſerunt, non ſatis contemplati ſunt naturam generis humani.
32. An arma legibus, vel hæ illis præferri debeant? quæſtio eſt otioſa.

CLA-

Digitized by Google

CLARISSIMO DN. RESPONDENTI

S. P. D.

PRÆSES.

LEgi, & non ſine gaudio legi elegantem, quam meæ nuper cenſuræ obtuliſti diſputationem de SUMTUUM STUDIORUM, EX COMMUNI HÆREDITATE CONCESSORUM, COLLATIONE, proprio marte & induſtriâ elaboratam, publico mox eruditorum examini ſubjiciendam. Recedis quidem à communi Doctorum ſententia, quando, nullo diſcrimine facto, ex æquitatis æqualitatisque menſura filios ad collationem ſumtuum, in ſtudia factorum, ſimpliciter adſtringis, ſed non inanes eſſe, quas affers, rationes, theſin tuam firmaturas, ſat oſtendis. Quemadmodum verò inſignem Tuam diligentiam, cum ſingulari & pietate & morum ſuavitate conjunctam, aliasque virtutes, cumprimis verò ingenii judiciique Tui vim & præſtantiam meritò laudare, &, ut in hoc rerum divinarum & humanarum ſtudio ſtadioque ſtrenuè ulterius decurras, Te animare debeo, ita ſtudiis Tuis, lætiſſima indies incrementa capientibus, quævis fauſta & felicia acclamo, ut, his mox abſolutis, præclarum quondam Reip. & Juſtitiæ fulcrum & ornamentum exiſtas: Vale & me ama.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google